



Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 2. An soluto matrimonio dominium dotis, ipso iure, transeat in Uxorem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

utriusque pecuniâ, vel simili titulo, etiam si non intercefferit contractus societatis civilis, juxta *L. Ut sit. ff. pro Socio, & §. Item, si inter, Instit. que ex quasi contractu*. Sic Abbas in *cit. c. n. 3.* & alii.

Dixi, si contingat matrimonium ex *justa causa* separari, propter impedimentum prius *ignotum*. Nam, si scienter (ambo) contraxerunt cum impedimento dirimente, perdere debent, quidquid unus alteri dedit, & fiscus lucratur, nisi excusetur per errorem, vel minorem ætatem. *L. qui contra; & Authent. Incestus. C. de incest. Nupt. junct. Gloss. V. licita; ita Pirhing, de donat. inter Vir. & Uxor. num. 27.*

1784. De reliquis autem bonis (sicut sunt Sponsalitia largitas, morgengeba, seu matutinalis donatio) & similibus, dicemus infra. Illud hic annotandum videtur, hæc bona, cum celebratur divorcium solius thori, & cohabitationis *perpetuum*, vel causa adulterii, vel ex alio capite, judicio Ecclesiæ concedentis divorcium perpetuum, ab adultera, vel Reo (cujus nimirum culpa fit divorcium) non amitti, nec accrescere innocenti, tum quia id nullo juris textu dispositum reperitur; tum quia causa dandi, ut suppono, nimirum, secutum matrimonium, & pudicitie delibatio, secuta est; nec sicut dos, & donatio propter nuptias ad onera communia, seu conjugalia sustinenda ordinantur,

§. 2.

An soluto matrimonio dominium dotis, ipso jure, transeat in Uxorem?

1785. Quæstio est, an, soluto matrimonio, dominium dotis, ipso jure transeat in Uxorem, si dos marito tradita fuit *inæstimata* in rebus immobilibus, & corporalibus, nec in rebus functionem recipientibus? Resp. affirmativè, ut dicitur *L. In rebus. C. de jure dot.* Et ideo Uxor eam, tanquam rem propriam tum ab hæredibus mariti, tum à quocunq; alio possessore vindicare potest, ut cavetur in *cit. lege*; sic Castropalaus *tom. 7. de Just. commut. D. 9. p. 20. §. 1. n. 1.* Si autem dos marito tradita fuit *æstimata* æstimatione faciente vendi-

tionem, quæ stat in rebus mobilibus, aut incorporalibus (ut sunt jura) vel immobilibus corporalibus, vel certa summa in valore restituenda, restitutio ex obligatione non statim faciendâ est, sed intra annum, nisi aliter conventum sit, per *L. unie. §. Exactio. C. de Rei Uxor. act.* intelligitur tamen, si maritus sit solvendo. Nam secus ex benignitate juris qualibet res in dotem, sive æstimatam, sive inæstimatam, revertuntur ad Uxorem; quia sub hac conditione (si sit solvendo) marito tradita sunt. *L. In rebus. C. de Jure dot. junct. gl. iii. & quidem jure prælationis, de quo alibi.*

§. 3.

Ad quem soluto matrimonio pertineant fructus dotis?

Resp. si matrimonium, quoad vinculum solvatur morte alterius, vel ex alia justa causa v. g. declaratione nullitatis factâ per Ecclesiam, dotem *integram* (secundum n. 1764.) esse restituendam cum lucris constante matrimonio communiter acquisitis, ut dictum est n. 1781. Si autem fermo sit de fructibus dotis, consistentis in re frugifera, & inæstimata, ii pertinent ad Uxorem à die soluti matrimonii, in ceteris ad maritum. Usus autem jurium, & dotis in summa consistentis, eo tempore, quo non est obligatio vel ex pacto, vel ex lege restituendi dotem, spectat ad maritum, ac ejus hæredes per *cit. L. unie. §. Sin autem. C. de rei Uxor. act.*

Si quæras, quid dicendum quoad dotis restitutionem in casu, quo declaratione nullitatis, per Ecclesiam solvitur conjugale vinculum, malâ utriusque, vel unius fide, nulliter contractum? Resp. ad hoc constare ex dictis à num. 1783. & seq. Si quæras. 2. an Uxor in casu, quo Maritus, vel ejus hæredes intra tempus constitutum dotem non solvunt, possit agere ad interesse? Resp. quòd sic; nam hoc habet quivis creditor, nec in hoc Uxor est deterioris conditionis; sic Molina *de Jure, & Just. D. 442. & colligitur ex cit. L. unie. §. Sin autem.*

